



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De  
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex  
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

**Bruno, Vincenzo**

**Coloniae Agr., 1599**

**VD16 ZV 2606**

Pio Lectori.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59868](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59868)

P. Si di- lu- re, ut na- am ser e  
O

PIO LECTORI.

**P**RINCIPIO huius o-  
peris, pie Lector, ad  
rationem instituti mei  
plenius intelligendam,  
visus mihi es necessario tribus de  
rebus monendus. Primum quo  
scopo & fine inductus sim ad has  
MEDITATIONES de vi-  
ta & Passione CHRISTI Do-  
mini nostri perscribendas. Secun-  
dò, quem ordinem in eis sim se-  
cutus. Tertiò quem modum, qui  
eas legerint, tenere debeant, ut ex  
earum consideratione aliquem  
percipiant fructum. QVOD ad  
primum attinet, duabus potissi-  
mum de causis permotus sum ad  
eas conscribendas. Prima est sum-  
ma huius exercitij Sancti, nem-  
pe orationis necessitas. Quemad-  
modum enim fieri non potest, ut  
diu vitam corporis conseruemus  
sine cibo corporali, sic nec vitam  
gratiæ in anima diu sine miracu-

P R Æ F A T I O

lo tetinere possumus sine hoc cibo spirituali. Quod cū probè sciret Saluator noster, toties ad hoc suos discipulos est adhortatus, & per eos speciatim idem voluit omnibus suis cōmendatum esse, vt his instructi armis faciliùs se aduersus tentationes tueri, gratiam conseruare, & æternam denique salutem consequi possent. Altera causa fuit magna, quam omnes in hoc exercitio experimur, difficultas, quandoquidem non omnes homines, siue quia consuetudinē illam non habent, siue quia curis externis & negotijs nimium distrahuntur, aut norunt, aut possunt in orationib. suis excogitare cōceptus vel materiã deuotionis. Vnde eiusmodi hominibus, dum ab hoc exercitio abstinēt, euenit idem quod egris, qui dum ob difficultatem, quam in edendo sentiunt ab omni cibo se continent, manifestum adeunt vitæ periculum. Quare in cōmune, pro me & alijs

AD LECTOREM.

alijs cogitâram Meditationes ea  
forma & modo conscribere, qui  
tum varieate rerum, tum conce-  
ptuum affectuosorum copia, ita  
esset ad gustum spiritualiter con-  
ditus & accommodatus, vt quisq;  
licet abhorrens, aridus & distra-  
ctus, mediocri saltem attentione  
eas per legendo excitari posset ad  
deuotionem & amorem CHRIS-  
TI sui redemptoris, & simul ad  
desiderium eum imitandi, eiq; se-  
quoad posset in omnibus rebus  
assimilandi.

VT verò facilius hunc finem  
consequi possimus, existimaui,  
quod erat secundum caput eorū,  
de quibus monere te volueram,  
illum ordinem esse tenendum, vt  
vnamquamque MEDITATIO-  
NEM in tres præcipuas partes di-  
viderem. In quarum prima, (ne-  
cesse est enim in oratione certam  
aliquam materiam præscribi, de  
qua meditatio instituat) pro-  
ponitur punctum vnum de Hi-

\* 5      storia

P R Æ F A T I O

istoria Euangelica, hoc est, vna  
 CHRISTI Domini nostri A-  
 ctio: eo quod sanctissima eius vi-  
 ta sit verum illud exemplar, in  
 quod omnes intueri debemus, &  
 recta illa norma, ad quam vni-  
 uersa vita nostra instituēda & di-  
 rigenda est. Post Euangelium, se-  
 quuntur quædam veteris Legis Fi-  
 guræ vel Prophetiæ, partim ad  
 confirmandam magis veritatem  
 Euangelicam, partim, quia Spiri-  
 tus Propheticus ob lumen & vim  
 magnam, quam impertit intelle-  
 ctui nostro in fidei veritate, val-  
 dè efficax est, ad illustrandā men-  
 tem, commouendos affectus &  
 & comparandum animum ad me-  
 ditationem.

In Secunda parte proponun-  
 tur Considerationes in singula  
 Euangelij puncta. Nam licet ho-  
 minibus spiritalibus, in meditan-  
 do exercitatis, qui per se ipsi no-  
 runt exsugere mel de petra, ipsa  
 nuda Euangelij historia satis ma-  
 teriæ

A D L E C T O R E M.

terix præbeat ad contemplan-  
dum : tamen incipientibus, &  
nondum exercitatis, ac etiam  
mente distractis opus est, velut  
infantibus & pueris cibum in fru-  
sta sectum, & præmansum in os  
ingerere, vt facilius possint dige-  
rere, & fructum aliquem referre.  
Hæ Considerationes ad extre-  
mum concluduntur Colloquio,  
in quo à Domino postulamus, vt  
spiritualiter id in nobis effice-  
re velit, quod corporaliter ab il-  
lò ea actione effectum, de qua  
meditatio fuit instituta. In ter-  
tia & vltima parte deinde cuius-  
que Meditationes adiunguntur  
quædam documenta ex Euange-  
lio excerpta: quia sicut finis ora-  
tionis nostræ esse debet, bonis o-  
peribus vitam nostram cum vi-  
ta CHRISTI conformare, sic  
in his documentis ex operibus à  
Christo factis, doctrinaque ab  
eo tradita, discimus quid age-  
re, quidque fugere ad imitan-  
dum

P R Æ F A T I O

dum C H R I S T V M debeat  
mus.

Q V O D ad tertium & postre-  
mum caput attinet, de instruen-  
dis ijs, qui minùs in hoc genere  
sunt exercitati. Quicùq; fructum  
aliquem capere ex his Meditatio-  
nibus desiderat, ante omnia, cum  
ad orandum se confert, conveni-  
enter consilio sapientis, animam  
suam præparare debet. Præpara-  
tio autem consistit in duobus. Pri-  
mum est, vt remoto omni affe-  
ctu inordinato, & voluntate pec-  
candi, conetur se huic sancto ex-  
ercitio dedere, quanta maxima  
sinceritate, puritateq; animi po-  
terit: vt enim purum esse debet  
vas, in quod pretiosus liquor ef-  
fundendus est: ita animam illam,  
in quâ nobilis diuini amoris, gra-  
tiæ, aliorumque donorum cæle-  
stium liquor effundendus est, ne-  
cesse est mundam esse, quoad fie-  
ri potest, ab omni peccati labe, i-  
mò liberam & solutam omnibus  
alijs

A D L E C T O R E M.

alijs curis & cogitationibus, quæ  
eã in oratione retardare possint.  
Alterum est, vt mente ad Deum  
sublata, quasi in cõspectu Dei cõ-  
stitutus postulet gratiam, deuotè  
& reuerenter hæc sacramyteria  
ad purũ honorem & gloriam suæ  
diuinæ Maiestatis, vtilitatem que  
spiritualẽ animæ suæ cõsiderãdi.

P O S T hanc præparationem,  
aggrediendum est ad hoc sanctũ  
exercitiũ, Vbi id primum anim-  
aduertit, etsi quælibet Meditatio  
plures habeat partes, nempe. Scri-  
pturam, Prophetias, Considera-  
tiones, & Documenta, non eo id  
factum, vt homo singulas mente  
pertractet, sed, quia non vnum  
est omnium hominum palatum,  
varia & multiplex materia pro-  
posita est, vt qui ex hoc, vel illo  
puncto ceu ferculo non potest, ex  
alio saltem carpat, quod ad refici-  
endam, roborandamq; mentem  
valeat. Ita enim fit, vt quidam so-  
la Euangelij, alij. vaticiniorum,

\* 2. ali



P R Æ F A T I O

alij considerationum, documentorum alij lectione, secundum cuiusque dispositionem, moueantur. Initium ergo Meditationis facturus, primò legat attentè & deuotè sacri Euangelij verba, vti à Spiritu sancto dictata: qua in lectione debet, quatenus potest, imaginari se præsentem oculis cõtueri quæcunque ibi commemorantur. P o s t Euangelium, eadem attentione leget Figuras, & Prophetias, considerando, quam benè vereque nouum testamentum veteri respondeat, & quanta perfectione CHRISTVS Dominus noster in se cõplerit, quicquid in Patribus antiquis fuit præfiguratum, & per ora Prophetarum prædictum. Quæ consideratio non exiguam illi pariet consolationem, & menti subtrahet alias distractiones, attentioemque ad res meditandas reddet. Verum quod ad has figuras & Prophetias attinet, illud visus es mihi

AD LECTOREM.

mihî hic præmonendus . Etsi omnes & singulæ Domini actiones non sint præfiguratæ, & prædictæ, sed tantum plurimæ & maximè præcipuæ, me tamen singulis aliquas prophetias adiungere voluisse: quæ, vt præcisè non referantur ad singularem illâ CHRISTI actionem, accommodari tamen illi possunt ; quod multorum Doctorum, ipsiusque Ecclesiæ sanctæ exemplo feci , quæ in diuinis officijs crebrò in hunc modum vsurpat vaticinia , aliæque veteris legis testimonia , decoreq; ac cõgruenter materiæ de qua agitur accommodat, licet secundum literam alio pertineant. Quæ ratio applicandi Scripturas, non solum affert ornamentum quoddam rebus tractatis, sed valet etiam ad excitandam pietatem & deuotionem , simulque ansam præbet, multos spirituales sensus & conceptus ad gloriam Dei excogitandi: cuius Spiritus in diuinis

nis

P R Æ F A T I O

nis literis nō est ad vnum sensum alligatus & astrictus, sed porrigi potest ad omnes veritates fidei Catholicę, bonisq; moribus consentaneas.

Post expensas Prophetias, per puncta Considerationum decurret. Vbi duo obseruanda sunt. Primum est, vt fructus carpatur, non esse continenter legēda, nec omnia puncta, nec vnum etiam integrum qualibet vice; sed, velut in vnoquoq; erunt varij conceptus spirituales, ita in illo hāendum est, & mente tam diu pertractandum, quod primò occurrit, quam diu sensu quodam interno, & gustu spirituali afficietur: quare si alia superesse contingat, ea in sequentes Meditationes differri poterunt, præstat enim paucā meditando expendi cum deuotione & fructu, quā multa sine attentione & gustu. Secundum est, etiam si in his cōsiderationibus occurrant diuersi conceptus, ad medita-

dit  
me  
qu  
m  
cti  
fue  
ille  
ter  
ter  
tun  
nen  
stas  
dig  
Te  
do  
no,  
rita  
mil  
ocu  
qua  
rit,  
nos  
riur  
con  
& fr  
ban

A D L E C T O R E M.

ditationem opportuni, posse tam  
men in qualibet Domini actione  
quatuor quædam perpendi. Pri-  
mò ipsius Domini personam a-  
ctionis auctorem, quippe qui nõ  
fuerit purus homo, sed magnus  
ille Deus, qui in terra quidem in-  
ter homines versabatur, sed pari-  
ter in cælo existens mundum to-  
tum gubernabat. Secundò. actio-  
nem, & opus, quod tanta Maie-  
stas in hominis forma exercere  
dignabatur in gratiam mortaliũ.  
Tertiò potest expendi, quomo-  
do actio illa perfecta sit à Domi-  
no, quanto videlicet amore & ca-  
ritate, quanta mansuetudine, hu-  
militate, patientia, &c. Postremò  
oculus conijci potest in causam,  
quæ Deum ad hæc agenda moue-  
rit, quæ alia non fuit, quàm amor  
nostri, & salutis nostræ deside-  
rium. Ex qualibet autem harum  
considerationum vtilitas aliqua  
& fructus animæ spiritualis deli-  
bandus est.

P O S T

P R Æ F A T I O

P o s t absolutam Considerationem punctorū concludet Meditationem Colloquio, colligendo se, & considerando quicquid dicitur in Euangelio spiritualiter ad se quoque pertinere, si enim in eo agatur de sanitate infirmis redita, vel de alijs beneficijs à Domino collatis, cogitabit se multò amplius infirmum fuisse, hocque magis opus habuisse auxilio, quo infirmitates & necessitates spirituales, sunt corporalibus grauioribus. Similiter si in eo agatur de peccatoribus, vel de iniurijs, alijsque afflictionibus toleratis à Salvatore, cogitet se multo maiorē esse peccatorem, & maiores iniurias CHRISTO intulisse, ipsam quoque bonitatem diuinam longe grauioribus contumelias pro sua salute perpeffam esse. Qua cogitatione compunctus & humiliatus, abijciat se ad Domini pedes, petens vt spiritualiter animam suā eo beneficio afficere velit, quod

an



AD LECTOREM.  
in Colloquio cuiusque Meditati-  
onis exprimeretur.

POSTREMÒ, quoniam Me-  
ditationis Vitæ CHRISTI fru-  
ctus non solum esse debet noster  
gustus & consolatio spiritualis,  
sed imitatio ipsius, & vitæ nostræ  
emendatio: idcirco post confide-  
ratas Domini actiones, percurrat  
Documenta, posita in fine, explo-  
rabitque num vitam suam conue-  
nienter doctrine & exemplo Do-  
mini instituerit; si verò deprehē-  
derit, se aliam viam tenuisse, pro-  
ponat emendationem, statuaturque  
se ad viuum illud omnium virtu-  
tum speculum, CHRISTVM Sal-  
uatorem nostrum vitam suam de-  
inceps conformaturum; quando-  
quidē solus ipse est via deducens  
ad vitam; qui enim existimat a-  
liam ad salutem semitam iniri  
posse, ille deprehendet se  
longe à scopo ab-  
errasse.

INDEX